

Joachim Hartmann Jacob Friedrich Rüdinger

Dissertationem Theologico-Polemicam, Qua Argumenta, Ad Evincendum, Satisfactionem Christi Pro Impoenitentia Finali Praestitam Esse, A Vocatione Universali, Ab Obligatione Ad Fidem, A Testimoniis Scripturae Joh. III, 16., 1 Joh. II,2. ... Desumta, Contra Obmota Vindicantur ...

Rostochii: Adlerus, 1754

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829749004>


Druck Freier  Zugang






59.

Fa-1092(59.1)





- 1. Sartorius, de imagine diuina
- 2. Hebrity, de vindictis Salomonis aduersus criminationem scepticismi.
- 3. Semler, de mysticorum interpretationum studio ab Aegyptiis patribus maxime repetenda, hodie parum utili.
- 4. Sartorius, de antirationalismo apostolico, occasione oraculi 2 Cor. 10. 5.
- 5. Semler, de Gaemoniacis quorum in euangelio sit mentio.
- 6. Kuhn, *Über die Bedeutung des Wortes "Gott" im N. T.*
- 7. Fichtelmair, de schola Jabnensi celeberrima quondam Galacarum Academia preemittit.
- 8. Feibichius, *Συμπόσιον ἀντισημιτικῶν τὰς ἐπιστολῶν.*
- 9. Nettelbladt, de genuina prophetaum de presenti et de futuro notione.
- 10. Nius, de methodo Hildebrandina.
- 11. Boekmer, de morbo ex hypochondriis.
- 12. Gottsched, de memoria Adelsiana et Sygleriana.
- 13. Huet, de personalitate.
- 14. Roessler, de vita veterum sublativis manibus precandi.
- 15. Burgmann, de vetere Testamento etc.
- 16. Hartmann, in 2 Petri 2. 1. de actu reprobis vero refectionis etc.
- 17. *Idem*
- 18. Stepinus, characterem tragœdiographi.
- 19. Baste, du Deluge par l'auteur de la methode etc.
- 20. Prüfung der Inauguraldissertation Joh. Hof. Müllers. von Niemann Ubbelohde.
- 21. Prier, de diuina vaticiniorum origine.
- 22. Prier, de versione Lutheri verborum Gen. c. 4. comm. 26.
- 23. *הוֹרָה בְּשֵׁן לְקַרְל קַרְלִיץ.*
- 24. Carpow, de speculo exponentem speciatim.
- 25. Carpow, de fucis et tinctura, oculorum, faciei, capillorum exponentem speciatim.
- 26. Quistorp, exegesis theologica notionis biblicae filiorum Dei.
- 27. Quistorp, de adoptione diuina vniuersim spectata.

59.

3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.

- 26.) Carpov, de $\alpha\pi\alpha$ in scriptura $\alpha\pi\alpha\sigma\tau\alpha$, Filionim filiarum Zion.
 27.) Burgmann, de Deismo generatim spectato.
 28.) Hartmann, de impossibili quorundam ad Metanoian reuocatione.
 29.) Haddewig, de dormientibus, secunda agens de iusta Romae salutari
 quantitate et mensura.
 30.) Engelen, de otio Monachorum haud probando.
 31.) Roemberg, de genesi intellectus et rationis ex actu reflectionis.
 32.) Burgmann, $\alpha\pi\alpha$ illud. Christi chari 14. com. 41.
 33.) Burgmann, de auctora in lege et testimonio conspicua ex $\alpha\pi\alpha$ 8. com. 20.
 34.) Burgmann, de gratia generatim considerata.
 35.) Hartmann, de argumentis quibus praestitam esse pro impenitentia
 finali satisfactionem Christi.
 36.) Quistorp, de notione filiorum et filiorum Dei biblica.
 37.) Burgmann, de Deismo naturalistarum generatim spectato.
 38.) Hartmann, de argumentis ad ~~eam~~ euincendum satisfactionem
 Christi etc.
 39.) Zahn, de polytheismo non superintendente.
 40.) Paulmann = Gurist = Kellus mundus in Insulibus in Graubrunis.
 41.) Chladenius, de vocatione diuina ad ministerium ecclesiasticum.
 42.) Franz, de coelibatu ecclesiasticorum specimen secundum de causis illius.
 43.) Wülfemann, de natura methodi mathematicae, eiusque usu in
 philosophia et theologia.
 44.) Nahmacher, annotationes annotationes ad locum Matth. 19. 24.
 45.) Peters, vim cohesionis explicandi phaenomenis, quae vulgo vi
 attrahenti tribuuntur haud sufficere.
 46.) Quistorp, de lauris poenitentiae victimis iansenistarum etc.

DISSERTATIONEM THEOLOGICO - POLEMICAM,
^{QUA}
ARGVMENTA,
AD EVINCENDVM,
SATISFACTIONEM · CHRISTI

^{PRO}
IMPOENITENTIA FINALI PRAESTITAM ESSE,
A VOCATIONE VNIVERSALI, AB OBLIGATIONE AD FIDEM, A
TESTIMONIIS SCRIPTVRAE IOH. III, 16. 1 IOH. II, 2., A DEFECTV IN
SATISFACTIONE NEGANDO, A GRATIA PER TOTAM VITAM PEC-
CATORI ADSISTENTE, AB INFINITO AMORE DIVINO ERGA GENVS
HYMANVM LAPSUM, ET AB IMPOENITENTIAE FINALIS TANTVM
HYPOTHETICA IRREMISSIBILITATE DESVMTA,
CONTRA OBMOta VINDICANTVR,

DEO FORTVNANTE,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
DVCE ET PRINCIPE HEREDITARIO MECLENBURGICO,
PRINCIPE VANDALIAE, SVERINI ET RACEBURGI, COMITE ITEM
SVERINENSI TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DYNASTA,
PRINCIPE ET DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,

S. R. THEOLOGORVM ORDINE CONSENTIENTE
IN ACADEMIA VARNIACA

DIE XX. DECEMBRIS MDCCLIV. H. L. Q. C.

IN AVDITORIO MAIORI

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

P R A E S E S

IOACHIM HARTMANN,

PHIL. ET S. S. THEOL. DOCTOR HVIVSOVE P. P. DVCALIS ORDINARIVS
SERENISSIMO PRINCIPI REGNANTI MECKLENBURGICO A CONSILIIIS ECCLE-
SIASTICIS ET DIOECESEOS MECKL. SVPERINTENDENS,

ET RESPONDENS

IACOBVS FRIDERICVS RÜDINGER,

MVMENDORFFIO MEGAPOL. S. S. THEOL. STVD.

ROSTOCHII, LITTERIS ADLERIANIS.



DEO

TER OPTIMO TERQUE MAXIMO CLEMENTISSIME
PROSPERANTE,

INGRESSVS.



Duplici Programmate respondi ad ea, quibus impu-
gnata erant, quae, ad probandum satisfactionem
Christi pro impenitentia finali praestitam esse,
per exegetin dicti Petri, 2 Petr. II, 1., et desumpta ab Universali
Gratia et Meriti Christi Universalitate argumenta, in Diss. Inau-
gurali protuleram. Supersunt alia argumenta thetica, quibus
thesin probaveram, quibusque non minora, ac dictis modo pro-
bationibus, opposita sunt. Videndum ergo est, quantum valo-
ris singulis insit oppositis, et nunc quidem, Deo favente, per-
lustranda et removenda erunt ea, quae Argumentis, *ab* Univer-
sali Vocationis, *ab* Obligatione ad Fidem, *a* Testimoniis Scripturae
S. Joh, III, 16. 1 Joh, II, 2., *a* Defectu in Satisfactione Negando, *a*
Gratia per totam vitam peccatori Adfistente, *ab* Infinito Amore Divi-
no erga genus humanum lapsu, et *ab* Impenitentiae finalis tan-
tum Hypothetica Irremissibilitate, desumptis, et Sectione Thetica
Diss. Jnaug. propositis, *a* Cel. CARPOVIO et Auctore *Anonymo*
Obs. et Dubiorum opposita sunt. Quem in Duobus Pro-
grammatibus tenui viam, eidem etiam hic insistam, nec a legi-
bus

A 2

46
45
44
43
392
40

bus eorum, qui veritatis amore disputant, ullibi, spero, aberraturus sum. Faxit Redemptor Sanctissimus, ut, quae dicenda sunt, Gloriam ipsius celebrationem promoveant, et veritatis illustrationi inserviant.

S. I.

Vniversalem Vocationem, qualis Act. XVII, 30. 31. pingitur, argumentum praebere thesi meae, quod pro impenitentibus finaliter talibus, hinc pro impenitentia finali, satisfecerit Christus, Diff. Inaug. §. LXII, dixeram, quia scilicet a vocatione, quae omnibus in universoni hominibus ubicunque obtingit, final. infideles praeccludi non posse judicaveram. Qui enim omnibus in universoni hominibus ubicunque praecipit poenitentiam et offert fidem, is etiam finaliter impenitentibus offert, et hinc illi etiam redempti sunt. Ad hoc argumentum Cel. CARPOV. Sp. XII §. XIV. respondet ita, ut, a) si in eodem intelligantur finaliter impenitentes specificative dicti, totum concedat: b) si sumantur reduplicative, neget illud ex Apostoli sententia fluere, cum si finaliter impenitentibus, qua talibus, Deus offerat fidem, et praecipiat poenitentiam, praecipiat illam et offerat post mortem (quia nemo nisi post mortem, vel, ut mox loquitur, in morte sit finaliter impenitens), quod falsum sit. At vero huic exceptioni membro b) prolatae, cum prius membrum a) omnino hic in censum non veniat, in antecedentibus responsionibus Progr. Pent. §. 3. 25. et Pr. Mich. §. 7. 8. 9. jam abundanter respondi: finalem scilicet impenitentiam esse peccatum viatoris, et pertinere ad hanc vitam, et hinc, negata post mortem fidei oblatione, recte tamen, pro impenitentia finali satisfactum esse, doceri. Ista ergo, hic repetita, sufficiant. Cum vero loco, circa quem versamur, intelligi debere finaliter impenitentes, qua tales, probassem inde, quod ea fidei oblatio se extendat ad omnes, ad quos se extendit iudicium extremum, Vir Praecl. arbitratur, huic argumento inesse terminorum quaternionem, atque in majori substantiam in minori qualitatem subintelligi. Sed nihil, quam id non fieri, magis

magis in oculos incurrit. Namque in majori propositione nul-
 latenus subjectum, qua *solam* substantiam, et *non* qua qualitatem,
 spectatum, sed qua utrumque respectum, intelligendum est.
 Vnde gratis assumit Vir Praestantissimus argumentum meum *ita*
 conceptum ac limitatum: „ad quos, qua substantiam spectatos, se
 „extendit iudicium extremum, ad illos, qua substantiam spectatos etiam
 „se extendit fidei oblatio, et ad poenitendum mandatum: Ad finaliter
 impenitentes, qua tales (hinc non qua substantiam sed qualita-
 tes spectatos) se extendit iudicium extremum; E. etc. Argumen-
 tum potius ita concipiendum erat: Ad quos, qua substantiam et
 qualitatem (sc. impenitentiam finalem) simul spectatos se ex-
 tendet iudicium extremum, ad illos, qua substantiam et quali-
 tatem illam ipsam simul spectatos, se extendit etiam fidei oblatio;
 Ad finaliter impenitentes qua, substantiam et qualitatem (sc.
 finalem impenitentiam) simul spectatos se extendit iudicium
 extremum (Judicantur enim ipsi secundum qualitates suas
 Marc. XVI, 16. Rom. II, 6. 8. 9. 2 Cor. V, 10. Joh. V, 29); E. etc.
Sive si magis placet: Ad quos, sub certa determinatione spectatos,
 se extendit iudicium extremum, ad illos sub eadem determina-
 tione spectatos se extendit fidei oblatio. Atqui ad finaliter im-
 penitentes sub determinatione certa (sc. impenitentia finali)
 spectatos se extendit iudicium extremum; E. etc. Minorem nemo,
 nisi qui, quod dicitur Marc. XVI, 16. et reliquis locis citatis, ne-
 gaturus est, inficias ire potest. Majorem ex Dicto nostro ma-
 nifesto haberi patet, nec ab ipso *Cel. CARPOVIO* illud negatur.
 Namque expresse *Apostolus* dicit, *ideo* fieri oblationem fidei et
 praecipi poenitentiam, *quia* Christus iudicaturus sit orbem.
 Quemadmodum itaque iudicio extremo nemo effugiet finaliter
 impenitens, et ipse quoque *Cel. CARPOVIVS* concedit, ideo
 coram iudicio Christi comparere debere finaliter impenitentes,
 quia contemserunt ad finem vitae usque lytrum, quod Christus
 pro peccatis eorum, ut viatorum, praestitit, et illum ipsum con-
 temtum esse rationem sufficientem damnationis, hinc sententiae
 in iudicio extremo condemnatorio latae: ita conclusionem pa-
 riter

46
45
44
43
392
40

riter concedere tenetur Vir praeclarissimus. Quod autem addit, rationem damnationis futuram esse impenitentiam finalem, quoad pro ipsa satisfactum negatur, de eo mox videbimus in Vindictis argumenti Scherzeriani §. proxime subsequenti. Et cum denuo addit, si pro impenitentia finali satisfactum affirmetur, non posse justitiam iudicii condemnatorii vindicari, de eo iudicium ferendum erit, cum ad id argumentum, in Disp. Inaug. a me contra Cel. CARPOVIVM adhibitum, perventum fuerit. Dabunt vero etiam illa, quae Spho sequenti dicentur, quibus hoc Viri adsertum refellitur.

§. 2.

Progreditur nimirum Vir Cel. ad argumentum Scherzerianum, adductum a me §. LXIII. Dissertat. Inaugural. quod pro impenitentibus finaliter talibus satisfecerit Christus, quia sub poena aeternae damnationis in Christum credere illi tenentur, et si pro ipsis satisfecisset Christus, credere tenerentur mendacio, et DEUS ipsos puniturus esset ideo, quod mendacio non credidissent. Limitat idem ita, ut, si sermo sit de finaliter impenitente, ut viatore, concedat, adserat vero, eo contra ipsum non concludi, quod si vero de impenitente finaliter tali, ut iam ex hac vita migravit, dicatur, neget minorem. In hoc posteriori autem ut me omnino habet consentientem, ita prorsus ipsius sententiam ferit argumentum de finaliter impenitente, ut viatore, intellectum, quia impenitentia finalis est peccatum huius vitae, et hominis viatoris, in ultimo nimirum huius vitae actu, vel statu, constituti. Quod tanto magis tenendum est, quanto id ego distinctius semper et in ipsa etiam Diss. Inaug. monui, et ex omnium Theologorum, idem mecum adserentium, sententia, quorum quippe nemo unquam de peccato post mortem, satisfactionis objecto constituto, cogitavit, illud patet, ut aliena prorsus sit eorum sententia, qui impenitentiam finalem futuri seculi facere peccatum allaborant, ideam termino jungentium, quae nulli unquam Theologorum nuncupatorum venit in mentem. Aut itaque peccatum huius seculi, et viatoris, impenitentiam finalem reputabit Vir Celeb.

Cel. ut argumentum ita feneat: *quicumque sunt viatores, qui sub poena aeternae damnationis credere in Christum tenentur, pro iis, ut viatoribus, satisfecisse dicendus est Redemptor: at impenitentes finaliter tales, in ipso actu hujus vitae infidelitatis ultimo, hinc qua tales, sunt viatores, qui sub poena aeternae damnationis credere tenentur: E. &c.* Atque sic cum concedere tenetur et concedit hoc argumentum Vir Prae-cell. labefactatur eodem syllogismo ejus sententia: *aut peccatum futuri aevi facit impenitentiam finalem, et sic probat, quod nemo negat, adhibet autem terminum, quo neminem unquam futuri aevi, omnes vero hujus seculi, peccatum denotasse, per scripta Theologorum, qui pro impenitentia finali satisfactum esse docuerunt, eundo, constat.* Quodsi porro peccatum futuri aevi facit impenitentiam finalem, quomodo, quaeso, potuit adserere, in exceptionibus contra argumentum *proxime praecedens*, impenitentiam finalem esse objectum judicii condemnatorii et rationem sufficientem damnationis? Cum in judicio condemnatorio propter ea, quae in hac vita patrata sunt, mala, puniantur homines, et quae in hac vita perpetrata sunt, damnationis constituent rationem sufficientem, non ea, quae, facta jam damnatione, patrantur in inferno *2 Cor. V, 10.* Quodsi itaque pro impenitentia finali satisfactum negatur, et *ideo quidem*, quia ad futurum jam pertinet seculum: peccata vero futuri seculi non sunt ratio damnationis, quia *post eam* jam factam committuntur; non potest impenitentia finalis dici ratio suff. damnationis, ut *S. praec.* vidimus differentem *Cel. CARPOVIVM.* E contrario: si est ratio suff. damnationis, hinc damnationem antecedit, ad hanc vitam pertineat et sit viatoris hominis peccatum oportet. Quo itaque observato confitendum est *Cel. CARPOVIO*, argumento Scherzeriano ipsius sententiam fringi, atque concidere, quam *Spho* praecedenti notavimus, sententiam, quod impenitentia finalis sit ratio damnationis. *quoad pro ea satisfactum negatur:* confitendum est etiam, justitiam condemnatoriam non posse, *sub ea hypothesis*, sic accepto peccato impenitentiae finalis, vindicari, quia justitia divina non condemnat homines propter peccata, quae, nisi

44

45

46

43

392

40

nisi jam condemnati, non praestiterunt, nec condemnat propter peccata, quae non sunt hujus vitae 2 Cor. V, 20. Reliqua dabimus suo loco.

§. 3.

Quando postea Vir Cel. CARPOV. ad argumentum l. c. *Diff. Inaug.* desumptum ex loh. III, 16. et 1 loh. II, 2. respondet, se reprobos redemptos nullibi negasse, vim argumenti non attendit Vir Eximius fundatam in eo, quod sub voce *mundus*, omnis homo, in quocunqve *hujus mundi*, *hujus vitae*, statu constitutus sit, hinc etiam, *cum impenitentia finalis sit hujus mundi*, *hujus vitae*, peccatum, homo impenitens finaliter talis et in impenitentia finali constitutus, sub eadem voce comprehendi, nec excludi, debeat, quod tamen, contra dictorum tenorem, negatum ibat Vir praeclarissimus. Quod autem jam in *Pr. Mich.* notavi §. 7. 8. 9. id hic denuo deprehendo. Nimirum: *finaliter*, inquit Vir Cel., *impenitens*, ut talis, *nemo est*, nisi in ipso articulo mortis et post illum. Quam vero dictionem duo ponere momenta, quorum dualitas hic non erat attendenda, dicto jam loco docui. Impenitentia finalis est in actu ultimo hujus vitae, et illud momentum, quo non amplius spirat homo, proxime antecedit. Quando itaque quaestio est: num pro impenitentia finali satisfecerit Christus? quaeritur de impenitentia, quae in ultimo hujus vitae et spirandi actu habetur, non de ea, quae illum ultimum actum sequitur. Quare, cum de impenitente in ultimo vitae actu constituto intelligenda esse dicta non audeat negare Vir Eximius, concedat tandem pro impenitentia finali satisfactum esse.

§. 4.

Argumentatus deinde l. c. ego eram: *Si pro impenitentia finali non satisfecerit Christus, reprobos damnari non propter impenitentiam finalem, saltem non solam, sed propter defectum Meriti Christi, quod tamen falsum sit.* Illi argumento responsurus Vir Celeb., mentem suam declaraturus producit famosissimi Iudaei Süß exemplum,

plum, et deinde addit, *impoenitentem finaliter talem omnem Ministrorum laborem derisurum, et illaturum, si pro illa impenitentia finali etiam satisfecerit Christus, futurum, ut ea impenitentia finalis ipsi non noceat, et provocat ad Spec. IIX. §. 7. ubi eandem hominis increduli exceptionem S. R. ENGESTROEMIO, simili argumentatione, ac ego adhibui, contra ipsum pugnantem, opposuerat. Sed in propatulo est, hic in hac ipsa exceptione committi cum acquisitione adplicationem. Namque, ut impenitentia finalis non noceat impenitenti, non potest confici per acquisitionem solam, sed requiritur adplicatio, quae cum culpa impenitentis deficiat, et nunc propter vitae terminum postea sequi non possit, nocumentum existit, quod *negata adplicatio* satisfactionis, pro ultimo vitae statu et actu improbo praestitae, infert, inde vero ad id, quod pro ultimo hujus vitae statu et actu improbo non sit praestita satisfactio, concludere non licet. Quid verò hoc facit ad infringendum argumentum, quod adferebat, sub hypothese Viri Cel. non damnari improbum propter impenitentiam finalem, certe non solam, sed propter defectum meriti Christi? nihil quidquam: sed novam quandam exhibet exceptionem, quam modo per distinctionem *adplicationis* et *acquisitionis* sustuli. Habet tamen etiam Vir Cel. aliquid, quod ad argumentum ipsum adplicandum est. Cum enim descripsisset Iudaei impenitentiam finalem, et dixisset, nunc se negare pro ea satisfactum esse, negat, inde sequi, Iudaeum damnatum esse propter defectum meriti Christi et gratiae, addita ratione, quam ita exprimit: *Nonne vides gratiam Dei oblata tam fuisse una cum merito Christi pro peccatis ejus, ut viatoris, ob eamque causam rationem damnationis non esse in defectu gratiae et meriti, sed in impenitentia finali. Nam, si vel in ultimis vitae momentis fide adprehendisset Salvatorem mundi, fuisset salvatus. Ego vero potius quaero: qui gratia et meritum adhuc offerri potuerit, et qui adprehendi potuerit in ultimo vitae statu, pro quo tamen nulla, per hypothese[m] mihi oppositam, praestita fuit satisfactio hinc gratia superest nulla? Ex illa Viri Cel. hypothese potius desperaban-**

B

raban.

44

45

46

43

392

40

rabundus Iudaeus Ministro laboranti obvertere debuisset; stultum (ita enim Vir Cel. contra me pugnans argumentatur) esse, ut etiamnum a laborando non cesset, cum in ultimo jam vitae puncto versetur ipse, pro quo ex *illa hypothesis* satisfactum non sit, nec hinc adplicatio ulla satisfactionis, non praestitae scilicet, locum habeat. Dicas, pro praecedentibus tamen statibus satisfactum esse, et in ultimo vitae statu adplicari *potuisse*. Eadem ratione dictum foret ac si adstrueres in primo futuri seculi statu adhuc adplicari debere satisfactionem, quae pro hac vita praestita erat. Ego e contrario adstruo, hominem, in quo adplicatio locum habere debet dato momento, sub eodem momento spectatum etiam redemptionis objectum esse debere, et quo momento is non potest dici redemptionis esse objectum, eo momento nec satisfactionis pro praecedentibus momentis praestitae adplicationem in eo locum habere posse. Quod quidem argumentum suo loco et amplius, et ex concessis a *Cel. CARPOVIO*, deducturus et illustraturus sum.

§. 6.

Argumentum, quod a Gratia divina per totam vitam, etiam in ultimo vitae momento, peccatori Adfistente deduxeram, §. LXIII. p. 58. *Diss. Inaug.* cum removendum quaerit Vir *Cel.* primo adversus locutionem, qua usus eram, quod sc. voluntas benignissima Dei, de homine salvando, non cesset, nisi cum ipso impenitentiae finalis fine, hoc est, cum ipso vitae termino, monet, minus accurate dici, quod voluntas Dei de finaliter impenitente salvando cesset, cum finalis impenitentiae fine, cum Dei voluntas sit aeterna et immutabilis. Laudo ego eam attentionem. Nullus tamen dubito, quin *Cel. CARPOVIUS* bene potuerit sentire, quid voluerim. Non enim loquor de cessatione aut mutatione ipsius voluntatis divinae, ut in Deo est, sed de relationis hominis peccatoris ad voluntatem divinam eam, et de exercitii illius voluntatis, cessatione. Doleo autem, quod hoc sentire noluerit Vir Optimus: inde enim est, quod voluntatis antecedentis et consequentis commixtionem mihi sine

fine ratione objiciat. Quam quidem objectionem cum ad argumentum meum generale etiam protulisset Vir Praeclarissimus et ego sustulisset jam *Progr. Mich. S. 3.* ad ea, quae *l. c.* dixi, facile remittere possem lectorem. Repetam tamen hic et ad argumentum praesens, omissis iis, quae me non feriunt, applicabo. Triplici autem modo proposuit Vir Praecell. argumentum meum. Primo quidem tale constituit: *Si Deus actu in impenitentia finali constitutos adhuc salvari vult voluntate antecedente, qua nondum rationem habet fidei vel incredulitatis finalis hominis, in impenitentia finali actu constituti: sequitur, ut Christus satisfecerit pro homine, in impenitentia finali actu constituto, sed nondum spectato ratione fidei vel incredulitatis finalis.* Et sic concedere dicit argumentum, quia hoc tantum neget, quod Christus satisfecerit pro finaliter impenitente, *ut tali, vel pro ipsa impenitentia finali.* Secundo ita format: *Si Deus actu in impenitentia finali constitutos adhuc salvari vult voluntate consequente, qua rationem habet incredulitatis finalis hominis, in impenitentia finali actu constituti: sequitur, ut Christus satisfecerit pro homine, in impenitentia finali actu constituto, et spectato secundum impenitentiam finalem.* Et sic negare se dicit antecedens ut Scripturae S. contrarium, *Ioh. III, 36. Marc. XVI, 16. 2 Thess. I, 8.* quare consequens per se corruat. Tertio tandem ita fingit argumentum meum: *Si Deus actu in impenitentia finali constitutos adhuc salvari vult voluntate antecedente, qua nondum rationem habet fidei vel incredulitatis finalis hominis, in impenitentia finali constituti actu: sequitur, ut Christus satisfecerit pro homine, in impenitentia finali actu constituto, et spectato secundum impenitentiam finalem.* Et sic negare se dicit consequentiam, quia voluntas Dei antecedens et consequens confundatur: cum illa in Syllogismi antecedenti, haec in consequenti sumatur. Considerabimus singula. Ego, in compensationem superiorum, moneo, fidei in hoc argumento nullam esse rationem, atque tum ulterius limito argumentum primum sequenti modo. *Si Deus actu in impenitentia finali constitutos adhuc salvari vult voluntate antecedente, qua nondum rationem infidelitatis finalis,*

46

45

44

43

392

40

ut praeteritae, qualis quippe nondum est, *hominis in impenitentia finali actu praesenti constituti*, et nondum post eam praeteritam considerati sed adhuc in hac vita spirantis, *habet; sequitur, ut Christus satisfecerit pro homine in impenitentia finali actu praesenti constituto, sed nondum spectato ratione incredulitatis finalis*, ut jam praeteritae, qualis quippe nondum est, sed ut in actu ultimo, *consideratae*. Ita argumentum habeo pro meo, et si adhuc concedit ipsum Vir Cel. mecum is consentit, et non potest negare, quod Christus satisfecerit pro finaliter impenitente, ut tali, vel pro ipsa impenitentia finali, quippe quae ad hanc vitam pertinet, et morte finitur. In illa nimirum ante mortem in ultimo vitae momento constitutus peccator adhuc subest voluntati antecedenti, non consequenti, quippe cui non subest, nisi jam mortuus, in statu post mortem, post impenitentiam finalem jam praeteritam. Eadem nunc ratione limito argumentum secundum. *Si Deus actu in impenitentia finali praeterita (potius ergo in statu post impenitentiam finalem) constitutos adhuc salvari vult, voluntate consequente, qua rationem habet incredulitatis finalis*, ut jam praeteritae, *hominis in impenitentia finali* ut jam praeterita (vel potius in impenitentiae finalis actu non amplius, sed in statu, qui illam, morte finitam, proxime sequitur *conf. Prog. Pent. §. 3. 5.* et cum non amplius in hac vita spirat) *constituti; sequitur ut Christus satisfecerit pro homine in impenitentia finali* jam praeterita (adeoque, si recte dicendum sit, potius in impenitentiae finalis actu non amplius, sed in statu, qui illam post mortem proxime sequitur *conf. Prog. Pent. 3. 5.* et cum non amplius in hac vita spirat) *actu constituto, et spectato secundum hunc statum*. In eo argumento, quod nullatenus est meum, cum Cel. CARPOVIO ego etiam nego antecedens, ut Scripturae S. contrarium Ioh. III, 36. Marc. XVI, 16. 2 Thess. I, 8. et consequens per se corruere pariter adfero. Tandemque tertium argumentum simili prorsus limitatione convello. *Si Deus actu in impenitentia finali constitutos adhuc salvari vult voluntate antecedente, qua nondum rationem habet infidelitatis finalis*, ut jam praeteritae, qualis quippe nondum est, *hominis*

minis in impenitentiae finalis actu praesente constituti adhuc tamen in hac vita spirantis; sequitur ut Christus satisfecerit pro homine in impenitentia finali, nondum tamen ut praeterita, sed ut praesente, considerata, actu constituto, et spectato secundum impenitentiam finalem, non tamen jam praeteritam, sed actu praesentem, in homine adhuc spirante, et in vitae ultimo actu versante. Atque in hoc argumento nullo modo confundi voluntatem antecedentem et consequentem, aut in antecedente illam hanc in consequente Syllogismi intelligi, apertissimum est, cum ex ipsis terminis pateat, hominem in antecedente, ut in consequente, spectari adhuc viatorem et in ultimo hujus vitae actu constitutum, in quo adhuc subest voluntati antecedenti. Ut itaque quacunq[ue] ratione argumentum tentet Vir Celeb. contra me nihil quidquam efficiat.

S. 7.

Notabimus etiam! Cum dicitur voluntate antecedente Deum non habere rationem fidei vel incredulitatis finalis, in ea sententia latet aequivocatio. Non habet Deus rationem fidei et infidelitatis finalis, ut jam praeteritae, simpliciter tamen et sine hoc addito id adeo nude, ut a Cel. CARPOVIO dictum est, adferri non potest. Voluntas antecedens non debet confundi cum affectu primae commiserationis. Hic hominem lapsum considerat, sine respectu fidei, in sola sua miseria spectatum, quia decretum complectitur de constituendo hominibus lapsis Redemptore. Redemptore vero nondum constituto non potest respici fides. Voluntas autem antecedens quae, alias vocatur Benevolentia Dei Univerfalis Redemptorem constitutum, fide adprehendendum, jam praeponit. Discrimen hoc sancte servat Scriptura S. Joh. III, 16. Ubi primo amorem divinum Redemptoris dati principium, tum Redemptorem, et denique voluntatem antecedentem, ut omnes, sub conditione fidei, salventur, docet Salvator. Deinde l. c. v. 18. voluntatem consequentem tanquam antecedentis executivam pingit, et notanter dicit, eum, qui non credit, judica-

tum jam est, eo ipso sc. quod conditio, cur, five ordo, secundum quem, a iudicio condemnatorio liber esse debebat, fides finalis, in ipso deficit. Ut probe intelligas, voluntatem antecedentem conditionem five ordinem fidei finalis complecti, et ea non posita nec id existere posse, aut debere, quod voluntas antecedens decreverat sub conditione vel ordine fidei. Atque hoc jam docueram *Diff. Inaug. Parte Posteriori §. XXIII. et maxime §. XXVI. scribens: Cum voluntas antecedens sit conditionata nihil ea continet, quod voluntati consequenti contrarium sit, quin potius secundum hanc ponatur actu, quod sub conditione vel praesente vel absente voluntas antecedens ponendum enunciat.* Idemque consentientibus Theologis purioris doctrinae enunciaueram, ex quibus hic allegasse sufficiat IOH. ANDR. QVENSTEDIVM *Theol. Didact. Pol. P. III. Cap. I. Sect. I. Th. VI., not. II.* ubi voluntatem consequentem *justitiae* dicit esse, qua Deus ex *Justitia* decretum fecit de hominibus tum salvandis per Christum, quotquot in eum crederent et media a voluntate antecedente ordinata et destinata non abjicerent, tum damnandis, qui in Christum non credituri essent: et deinde nota III. voluntatem consequentem dicit sequi NB. *purificatam conditionem*, sc. voluntate antecedente positam. Atque *l. c. Th. XII. IV. Not. 1. (2.)* Voluntatem antecedentem docet a) respicere τὰς μεσίων, ita, ut, spreto hoc ordine, non velit Deus hominibus salutem conferre, et b) n. 3. dicit, eam esse ad finem et media divinitus constituta determinatam. Ad media vero pertinet etiam, tanquam medium ληπτικόν respectu nostri fides. Quæ omnia eum in finem hic observanda sunt, ut intelligatur, voluntatem divinam consequentem, quae quippe *judiciaria* est, respectum habere ad fidem finalem, et impenitentiam finalem, ut jam praeterita, post ultimum vitae momentum, de homine dicuntur, in ipso vero vitae etiam ultimo momento, actu, statu, hominem adhuc subesse voluntati antecedenti. Et voluntatem antecedentem etiam involvere conditionem fidei finalis s. ordinem potius (conditionem enim non aliter intellectam volo, quam ut Theologi in hac materia capiunt, *Conf. REINECCIUS in Epitome universae de*
T. G. P.

T. G. P. *Controversiae Sect. II. §. VIII. pag. 60.*) eandemque involvere etiam damnationem sub conditione et ratione fidei finalis non existentis : consequentem vero purificata conditione *exsequi* iudiciaria ratione, quod sub conditione posita involvebat voluntas antecedens. Enimvero purificata non est conditio, nisi ultimo vitae actu jam *finito* et *praeterito*. Tum ergo demum voluntati consequenti subest homo, non in ipso adhuc durante, et *praesente*, ultimo actu, qui quippe *adhanc vitam* ad hanc *viatoris viam* adhuc spectat. Eo vero ultimo vitae actu adhuc Deus vult infideles salvari, si hoc ipso ultimo actu, quod per redemptionem in se possibile erat (quamvis uterque actus fidei et infidelitatis simul non possit existere), crederent, loco infidelitatis. Quam primum vero non adhuc spirant, non amplius dici potest, quod adhuc Deus velit infideles salvari, si hoc ipso momento crederent, id enim non amplius per redemptionem possibile dici potest, cum secundum eum statum spectati redempti non sint. Ut intelligas, salva mea thesi salvum manere voluntatis antecedentis et consequentis discrimen. E contrario si pro improbis in statu vitae ultimo spectatis satisfactum non esse dicas, in illo statu nec loco infidelitatis in ipsis poterat existere fides, et momento penultimo finito jam purificata dici deberet conditio, atque sic in ultimo vitae statu jam esset sub voluntate consequente peccator : Namque, negata redemptione et satisfactione, satisfactionis applicabilitas cessat, quae tamen ipsa satisfactione parata erat. *Conf. CARPZ. Isag. in LL. SS. p. 1094. REINECC. in Epit. Vn. Contr. de T. G. P. p. 371 β.* Illud vero si valeat; de quovis vitae finaliter increduli futuri statum argumentum eadem ratione formari posse ostendam suo loco. Quae deinde, in notis, ex Auctoris *Obs. et Dub. pag. 11. Praecl. CARPOVIUS* desumfit, ad ea respondebo §pho mox sequenti.

§. 8.

Auctor scilicet *Obs. et Dub.* alia ratione huic obvians eundem iudicavit argumento, *Obs. et Dub. p. 10. 11. Consequen-*

quentiam non valere dicit. Quod quamvis non probet, illustrat tamen ita, ut dictae consequentiae in argumento meo negationi non exiguam conciliaffe speciem dicendus fit. Inversa potius ratione argumentandum esse existimat: *Si Deus homines ab impenitentia finali dehortatur; sequitur, quod contra ipsam nullum detur auxilium, adeoque nec pro ea satisfactum sit.* Vellem Vir perspicax consequentiae suae adjecisset probationem. Quod ubi non fecit, mihi consequentiam negare licebit: atque, ut, nullam dictis inesse, intelligatur, proponam in forma ordinaria argumentum Auctoris Obs. et erit tale: *A quocunque Deus homines dehortatur contra illud nullum habetur subsidium adeoque pro eo Christus non satisfecit.* Non puto Virum egregium hanc Majorem probaturum esse. Si enim vera fit, subsumere licebit: *Atqui ab omni peccato, ab omni infidelitate, Deus homines dehortatur.* Ergo contra nullum peccatum, contra nullam infidelitatem, habetur auxilium, pro nullo Christus satisfecit. Quod cum nunquam admissurus sit Auctor Obs., velim, ut suae Majori consulat. Sed forte ita magis placebit: *A quocunque, ut finali, Deus dehortatur, contra illud, ut finale, non habetur auxilium, nec pro eo, ut finali, Christus satisfecit:* Sed ab impenitentia, ut finali, Deus homines dehortatur. Ergo contra eam, ut finalem, non datur auxilium, nec pro ea, ut finali, Christus satisfecit. Nunc cum subsumere audeam, ut in priori Syllogismo, sub Majori posita, sine dubio argumentum concedet Vir acutus. Quid ergo faciam? Victasne dabo manus et concedam pro impenitentia, ut finali, satisfactum non esse? Nequaquam. Namque totum hoc modo formatum argumentum eadem ratione refutatur ac illud, quod *Progr. Pent. §. 25. p. 24.* rejeci, addita limitatione, ut vel ad hanc vitam dicatur ea impenitentia finalis pertinere, vel non. Posteriori casu vanas, definitione male concepta, institui lites ibi dixi, dicam et hic: cum, *qua statum post mortem*, nullam positam esse satisfactionem concedatur. Priori sensu Particularismum realem statuendum fore docui ibi, atque etiam hoc loco dictum volo; imo etiam personalem adsumendum

dum esse, partim ex iis, quae *Pr. Pent. §. 14.* dicta sunt, partim ex *Responſionibus ad ſpecimen XII.* Praec. CARPOVII intellectu proclive erit. Sed videamus etiam, quae illustrationis gratia per modum Exempli attulit Vir admodum ſagax: *Medico, pertinaci aegrotō medelam offerenti, Deum comparat, cum is ideo offerat, quia poſt elapſum tempus nullum ſuperest medium, eadem ratione Deum offerre per totam vitam, quia poſt obitum nullum reſtet medicamen.* Quid vero iſta contra me inferre debeant profecto non video. Numquid ego ſtatu poſt obitum impenitenti finaliter tali adhuc ſuperſſe medium adprehendendum? Id nullibi dixi. Quaero e contrario: *An ſapienter offerretur medicamen in ultimo vitae momento ſi pro illo momento non valeret?* Numquid prudentem judicabimus medicum, qui medicinam, quae quidem gravitati morbi ſat magnae, non tamen ultimae, mederi poteſt, oblaturus eſſet aegrotō, in ultima morbi, et medicinae vim ſuperante, gravitate verſanti? Cum itaque Deus adhuc offerat in ultimo impenitentiae hujus vitae actu, ut pro eo ipſo momento ſatisfactio valeat oportet. Exemplum ergo allatum ſententiam mihi oppoſitam deſtruit, tantum abeſt ut juvet. Quod tandem additur, contra impenitentiam finalem non eſſe auxilium, id aequivoce dici arbitror. Si ſenſus ſit, quod pro impenitentia finali jam praeterita, et cum morte jam terminata eſt vita, non amplius ſuperſit tali finaliter impenitenti auxilium; conceditur illud ſalva mea theſi, et probatur per *Ebr. X, 26.* Quodſi vero in ipſo ultimo impenitentiae actu, in hujus vitae ultimo momento, pro impenitentia finali auxilium negetur, in eo fallitur ſententia, quia in ultimo etiam vitae momento credere potuit, qui in impenitentia moritur, et qua ipſum illud momentum etiam ſatisfactio data fuit, hinc fides poſſibilis et medicina praefſto erat. *Hefek. XLIX, 32,*

§. 9.

Iungam his nunc ſimul ea, quae argumento, quo, directe theſin meam probante, uſus ſum §. 84. *Diſſ. Inaug.*, obmota ab impugnantibus deprehendo, ut, quae ad Conſequentias

C

tias

tias referri possunt, et a Doctissimo Dno Auctore Dubior. et
 Obl. ad consequentias relata sunt, junctim considerari queant.
 Cum igitur, *supposito Dei amore infinito* argumentatus porro ef-
 fem *Diss. Inaug. S. 84.* a possibilitate Redemptoris et fidei ad datum
 Redemptorem, et dixissem, in finaliter incredulis, ut talibus, fi-
 dem *per se* esse possibilem, adeoque pro ipsis per infinitum Dei
 amorem datum Redemptorem intulissem; *Celeb. CARPOVIUS*
 negat, in finaliter incredulis, ut talibus, fidem esse possibilem
sive finaliter increduli, ut *in ipso actu finalis incredulitatis, sive*
post hunc, in ipsa damnatione, spectentur: quia sc. *priori respectu*
adfit contradictio, posteriori damnatorum salvatio sequatur. Jis
 omnibus vero prolatis iterum addit hoc: si de finaliter incredu-
 lis, *ut viatoribus*, fermo sit, se concedere argumentum, quod nun-
 quam negaverit. Ego, quantum ea cuncta miratus sim, dicere
 non possum, observabo autem ad haec dicta aliqua. I) Bene
 distinguit *Cel. CARPOVIUS* hic ipsum incredulitatis finalis *actum*
 a finalis increduli *post illum actum* statu. *Quam* quidem distin-
 ctionem cum semper urissem, gaudeo tandem concedi a Viro
 Praestantissimo, et sinceritatem laudo. Cum itaque concedatur
 ab utraque disputantium parte, finaliter incredulis, qua statum
post finalem incredulitatem spectatis, non datum esse Redemto-
 rem; non possum non vehementer mirari, qui Vir perspicaci-
 cissimus, pro vindicanda sua hypothese, semper possit ad id pro-
 vocare, *se loqui de statu finaliter increduli post mortem, et ut damnati,*
 quam exceptionem ejus toties vidimus? Et, cum bene distin-
 guat hic ipse *actum finalis impenitentiae a statu post illum* ponend-
 dum, qui potuerit eam divisionem in tota dissertatione praeter-
 videre, non dicam dissimulare, atque ab ipso dissentientibus ob-
 jicere, *quasi damnatorum praedicare velint salutem?* cum bene intelli-
 gat, *ipsos non loqui de statu post actum impenitentiae finalis*, in quo
 damnatus jam est impenitens finaliter talis, sed de ipso *actu*, in
 quo cum adhuc versatur, adhuc in via est, damnationi quidem
 proximus, nondum tamen damnatus. II) Cum impeniten-
 tiam finalem ipse definiat, quod sit ea, quam homo *ad mortem*
 usque

isque naturalem continuat, certissime *actum* impenitentiae finalis non potest post mortem ponere : sed cum tantummodo ad mortem usque continuatur impenitentia finalis, ultimus ejus actus necessario in ultimo *hujus vitae* actu poni debet, hinc pro *actu viatoris* haberi : ut nunc non repetam, quae de negando statu inter vitam et mortem medio disputavi. *Progr. Mich.* §. 7. 8. III) Cum autem impenitentiae finalis actum bene distinguit a *statu* post illum, eo ipso confirmat Auctor *Celeb.* reatum, in ipso actu ponendum, antevertere statum post illum actum, quod adstruxi *Pr. Mich.* §. 4. IV) Tandem, hoc loco habetur sincera *confessio*, in hac *disputatione* respici hominem ex ipso, ante mortem, adeoque in hac *vita*, ejusque actu ultimo, ponendo, actu *infidelitatis finalis*, consequenter a) mea definitio impenitentiae finalis, quam dedi §. LXIIX. *Diff. Inaug.* probatur. b) pro ultimo impenitentiae finalis in hac *vita viaque*, hinc hominis *viatoris*, actu satisfactum a *Viro Cel.* negatur c) ad *statum* finaliter impenitentis *posthanc vitam* non potest ab iis, qui contra me disputant, nisi per modum *non valituri effugii*, provocari, et tanto minus, cum in impenitentiae finalis actu constitutus, ipso hic confitente *Viro Praecl.*, nondum possit dici damnatus, et in ipsa damnatione jam constitutus, sed demum post illum. V) Non ergo adparet, qui in ultimis datae responsionis verbis denuo scribere possit *Vir doctissimus*, se in impenitente finaliter tali fidem per se esse possibilem concedere, et nunquam negasse, cum tamen ipse, in actu impenitentiae finalis, qui est hujus viae ultimus, in proxime antecedentibus fidem per se possibilem esse negaverit. VI) Ex his omnibus patescit, qui pro impenitentia finali satisfactum negant, teneri ad adserendum, quod sit aliquod *hujus seculi peccatum*, pro quo satisfactum non sit, idemque actu adserere. Videamus autem VII) etiam allatam a *Viro Cel.* rationem, cur in finaliter impenitente, spectato ex actu impenitentiae finalis, fidem NB. per se pronunciet impossibilem. Eam ponit in eo, quod *adsit contradictio*. Ego vero hoc a *Viro*, tanto *Philosopho*, pronunciatum non petui non vehementer mirari, cum *contradictionem*

nem non aliam adesse perspiciat ipse, quam quae actuum oppositorum *existentiae simultaneae* impossibilitatem dicit, quod quippe confessus est §. XX. eam vero impossibilitatem nemo dixerit *absolutam* et *per se* dictam. Dic, quaeso: num regenitus, *qua talis*, proaereticè peccare potest? Negabis per 1. *Joh. III, 9.* quia sc. *actus fidei* et *proaeresis* peccandi se mutuo pellunt, et *simultaneam existentiam* in eodem *subjecto* habere nequeunt. Anne vero inde sequitur proaereticum peccandi in regenito esse *absolute* et *per se* impossibilem ita sc. ut loco fidei esse non possit peccandi proaeresis? Contrarium docet Scriptura *Heseck. XXXIII, 12. 13.* Ita ergo quamvis in ultimo vitae actu *simultanea* fidei et impenitentiae finalis *existentia* poni non possit, eo tamen non obstante homo adhuc est in eo statu, ut loco impenitentiae finalis possit *locum habere*, adeoque *per se* possibilis in ipso sit fides. Atque hinc est, ut etiamnum offeratur in ultimo impenitentiae finalis actu. In quo si non possibilis adhuc foret fides vanissima futura esset oblatio. Post illum actum non amplius possibilis est per se fides, est vero omnino per se possibilis in ipso ultimo actu, quamvis uterque actus, fidei et infidelitatis, simul existere non possit in eodem subjecto. Eadem est cujusvis status improbi hujus vitae ratio. Dum infidelitatis et improbitatis actus adest, non potest simul adesse actus fidei. Erat tamen, ipso improbo actu stante, possibile, ut loco ejus fides esset. Hoc vero fieri posse nego, si pro ipso illo improbo actu satisfactum non esset, quia in statu, pro quo satisfactum non est, fidei *absoluta* possibilitas cessat, cum futura esset fides *sine objecto* adplicando. Et eodem se modo res habet in adstruenda fidei in ultimo vitae et impenitentiae finalis momento *absoluta* possibilitate, atque satisfactione pro impenitentia finali statuenda. Ut, quam, eximio labore, contra me nihil proficiat Vir Praeclarissimus, sed magis implicetur, manifesto appareat.

§. IO.

Argumentum illud meum *Cel. CARPOVIUS*, ut unum ego proposueram, *unum* sumit, et impugnat, probe mentem meam

meam intelligens, sc. a sola Redemptoris possibilitate in se spe-
 etata non V. C. ad datum Redemptorem, sed accedere debere
 adprehendendi Satisfactorem, *suppositis gratiae mediis*, absolutam
 possibilitatem. Et qui curatius mea pensitaverit, sentiet me
 nec illa jam sufficientia sumsisse, sed insuper *amorem Dei infini-*
tum tanquam fundamentum allegasse, §. LXXIII. *Diss. Inaug. et*
possibilitate fidei illa, suppositis gratiae mediis, absoluta, *tantum*
usum esse, tanquam ratione objectiva, ex qua, cur quoad homi-
 nem, amor infinitus ad Redemptorem dandum ferri possit, in-
 telligatur. Cl. *Obs. et Dub. Auctor* autem hoc argumentum con-
 tra mentem meam dirimit, et ex eodem duo format, ita ta-
 men, ut mentem meam supposuisse videatur, quia contra infe-
 rendi modum et principiorum sufficientiam, qua argumenti
 Majorem, nihil monet. Et in eo ipsum etiam sequutus est De-
 fensor meus Optimus. Quod quidem hic monere volui, ne
 inter disputandum ex litibus deinceps oriantur lites. Interim,
 quia mentem meam supposuit, et nullo modo pervertit et Cl.
 Auctor Dubiorum et Defensor praestantissimus meus, hinc,
 quod illi argumentum *primum* sumunt tanquam *primum mem-*
brum argumenti mei, salvis utrinque sententiis, spectari po-
 test; sequar etiam ego filum disputandi, quod sibi elegerunt
 illi. Videndum ergo quid reponat argumento *primo* vel *primo*
 potius argumenti mei *membro* Auctor Dubiorum. Ita limitat
 argumentum: *Si pro omnibus hominibus*, in quocunque statu fue-
 rint, *Redemptor possibilis*; sequitur, quod etiam *pro finaliter infidelibus*
qua talibus possibilis sit. Atque sic negat Minorem in modo po-
 nente formatum. Ego vero eam positam Majorem nego esse
 meam, cum deficiat ejus determinatio, quam expresse posui
Diss. Inaug. §. LXXIII., quod sc. de hominibus *in hac vita* existen-
 tibus sermo sit. Qua ergo iterum addita, dico, negationem Mi-
 noris locum nonhabere. *Cum enim* pro negationis ratione affer-
 tur, quod redemptionis applicatio *neque* in hac vita *neque* in futuro
 seculo qua finaliter impenitentes, locum habeat; id si de *actuali*
 applicatione dicitur, conceditur utrumque, *salva mea thesi*: de

44
45
49
43
392
40

eo vero non est quaestio, nec exinde sequeretur, quod non sit possibilis Redemptor, quod tamen in hoc argumento deberet inferri: Si autem de *possibili* adplicatione intelligitur, conceditur, quod ea in futuro seculo non sit possibilis, negatur, quod non sit in hac vita, et eo ipso momento, quo actus oppositus adest, possibilis, De quo velim relegantur, quae disputavi *Pr. Mich. §. 20. 21. et supra §. 9.* et observetur denuo hic concludi a *negata adplicatione ad negandam acquisitionem*, quae C. N. V. Cum porro pro negativa Minoris probanda Auctor *Obs. et Dub.* concludit ad damnatos, argumentum, addita mea restrictione, tollitur. Damnati enim non sunt homines *in hac vita* existentes. Interim aequitate ductus laudabili Auct. *Obs. et Dub.* cum, quae derivaverat ex priori sua argumenti determinatione, absurda, Apocatastatistis faventia nolit mihi imputare, aliter format meum argumentum, hoc modo: *Si Redemptor pro omnibus hominibus in certis circumstantiis spectatis possibilis est, sequitur, quod etiam pro finaliter infidelibus possibilis sit: atque argumentum dicit esse nullum. Et recte quidem. At argumentum non est meum, et supra jam, quale meum sit, dixi: quod ergo sufficiat, cum quilibet, si velit, terminis argumenti, ab Auctore Obs. prolati, superiorem quoque meam Majorem accommodare possit: circumstantia enim hujus vitae est universalis, et ad eam etiam impenitentia finalis pertinet.*

§. II.

Progreditur *Obs. Auct.* et producit alterum meum argumentum vel potius argumenti mei membrum ita: *Si fides in omnibus hominibus est possibilis, in quocunque demum statu fuerint, sequitur, quod etiam in finaliter impenitentibus, quae talibus, sit possibilis. Et iterum negat Minorem in modo ponente formatum, et ejus negationem, a damnatis repetito exemplo, probat. Ego vero iterum nego eam Majorem esse meam, atque restrictionem ad hanc vitam desidero, et sic, exemplum non quadrare, dico. Sed habet etiam, quod sub restrictione reponat Vir callidus, cum impenitentiam finalem adseveret cum fide constare non posse. At quod*

quod hoc concedam, salva mea thesi, jam saepius dictum est: cum actus fidei et infidelitatis *simultanea existentia* tantum involvat contradictionem, neutiquam *actus fidei possibilitas* cum *actuali* infidelitate. Contradicit *actuali* infidelitati *actus* fidei, non contradicit fidei *possibilitas*, de qua disputatur. Ut itaque magno conatu contra me omnino effectum sit nihil.

§. 12.

Proferatis ab Auctore Obs. Defensor meus fere eadem respondit, quae modo adduxi, praeterquam, quod ad ea, quae ultimo argumento meo opposuerat, etiam reposuit, me loqui de fide in *satisfactionem*, quam is dixerat, *primam*: quam si absolute impossibilem velit dicere Auctor Obs. et Dub.; per propria ipsum principia confiteri, quod *satisfactio prima*, et cum *secundam* ille neget, omnino *ulla*, data non sit *pro finaliter infidelibus*, qua talibus. Iis vero quemadmodum nullam tribuo necessitatem, per ea, quae *Pr. Mich.*, §. 19. et *Diss. Inaug. P. P.* §. XXXIX. dixi; ita, ut meis illa immittam, nihil opus quidem est: interim tamen, cum ita distinguere *objective* posse *satisfactionem* dixerim, eo sensu non contradico. Observandum vero hoc semper est, cum *satisfactionem* respectu *objectorum* distinguimus, inde nullo modo tamen sequi *satisfactionem* et *fidem* ita distinguendam esse, si *ut in se sunt*, et *esse debent*, considerantur, id est, si *subjective* spectentur, quamvis iterum *objective* ita distinguere posse *fidem* non simpliciter repugnaverim. Quemadmodum dicere possum: *satisfactionis* obiectum est *transgressio legis operum*, et *satisfactionis* obiectum etiam est *transgressio legis fidei*, una tamen est tantum *satisfactio*, cuius *utrumque est obiectum*; ita, qui dicturus esset, *fidem* sibi adplicare *satisfactionem*, quae expiavit *transgressionem legis operum*, et *fidem* adplicare *satisfactionem*, quae expiavit *etiam transgressionem legis fidei*, non magnopere videtur taxandus esse. Una tamen tantum est *fides Eph. IV. 5.* quae *totam simul satisfactionem* adplicat, praestitam et pro *transgressionem legis operum* et pro *violatione legis fidei*. Eademque est etiam
ratio.

ratio infidelitatis, quae non rejicit alteram satisfactionis partem, altera fide adplicata, sed infidelitas *totam satisfactionem rejicit*. Eam ego mentem jam distincte proposui *Diss. Inaug. sub int. §. XLIX.* et §. XXXIX. *P. Pol.* et eadem mente etiam *Pr. Pent. §. 14* docui, nec posse satisfactionem pro transgressione legis operum a satisfactione pro transgressione legis fidei, nec fidem in illam a fide in hanc, nec fidei in illam absolutam possibilitatem a fidei in hanc absoluta possibilitate divelli. Ex quibus omnibus abunde patet, *quod satius sit, non distinguere, ubi Scriptura non distinguit*, quia *evidentissime ejusmodi distinctiones causam non expediunt, sed magis impeditam faciunt, et humanum intellectum, jam caeteroquin, admodum pauca in rebus sublimioribus et divinis capientem, loco perspicuitatis, confusione et idearum obscuritate obruunt.* Interim sequendum nunc est, quo, duce CARPOVIO, qui satisfactionem, fidem, et infidelitatem, dividendam credidit argumento suo, *nunc impugnans et defendens protraxerunt aciem.* Videamus ergo, qualem faciem nactum sit discrimen. Nimirum dictis a Defensore Optimo habet, quod speciose reddat, Auctor *Obs. in Vberiori Declaratione*, qui nulla opera pepercit, ut planam viam anfractibus et variis ductibus redderet inviam. Omissis, quae declinandae exprobatiori impendit Vir suorum sibi conscius verborum, ad illa accedo, quae rem ipsam tangunt.

§ 13.

Cum itaque Defensor meus, prout et ipse ego etiamnum feci, limitationem illam, *de hominibus in hac vita existentibus*, argumento addit, hoc Auctor *Obs. et Dub. Decl. Vber. p. 56. contra mentem meam* fieri dicit, cum non possim pro principio usus esse propositione, quae est in controversia, et de qua ipsa disceptatur. Digna sunt verba, quae hic integra recitentur, ita vero ille: *Ich kan mirs unmöglich vorstellen, inquit, daß der H. D. den Satz unter einer solchen limitation zum Beweise brauchen wolte. Er wil hier Leute, die keine satisfactionem pro incredulitate finali statuiren, die folglich eo ipso einen gewissen Zustand der Menschen in diesem Leben von dem objecto satisfactio-*
nis

nis ausnehmen, belehren und widerlegen. Womit denn? Etwa mit dem Satz: Christi satisfactio muß sich über jeden Zustand des Menschen in diesem Leben erstrecken? Das ist ja eben in quaestione. Der H. R. konnte ja wol einsehen, daß Gegner ihm diesen Satz nicht zugeben würden. Was wäre er denn anders, als eine offenbare petitio principii? Eine solche Art des Beweises war von einem Mann von solcher Einsicht nicht zu vermuthen. Ich müste demnach, wo ich aufrichtig handeln wollte, den Satz also verstehen, daß er nicht eben derselbe bleibe, worüber von beyden Partheyen gestritten wird. Ich müste ihm allen möglichen Nachdruck geben. Ich müste so urtheilen: Wofern er beweisen kan, daß überall kein Zustand des Menschen möglich sey, bey welchen nicht Christi satisfactio Stat finde, so muß man ihm freylich einräumen, daß sie auch bey der incredulitate finali Stat habe. Wofern er aber behauptet, sie sey nur bey jedem Zustande des Menschen in diesem Leben möglich, so verfährt er blos mit seinen Gegnern in contradictoriis, und hat, bis auf anderweitigen Beweis, einer soviel Recht, als der andere. Es wäre dis weiter in der That nichts, als wenn er etwa *statum controversiae* formirte. Observabimus sequentia: 1) Ingenue et distincte admodum Auctor Obl, et Dub. hic profitetur, in quaestione, de satisfactioe pro *impoenitentia finali* praestita, sermonem esse de statu aliquo NB. *hujus vitae*, atque, illa satisfactioe negata, *statum* quendam *hujus vitae* ab objecto satisfactiois praeccludi. II) Id vero contrariatur propositioni, quam toties quoties contra me stabilendam quaesivit Vir Cel. CARPOVIUS, quod *impoenitentia finalis non fit peccatum viatoris*. III) Contradicit ergo Cel. CARPOVIO Auctor, et Auctori CARPOVIUS, in principio aliquo suae hypotheos principaliori, in quo merito ante concordia ineunda ipsis, quam lis contra me continuanda, esset. IV) Miror, Virum perspicacem propositionem, qua usus sum, petitionis principii arguere, et pro ea ipsa venditare, de qua disputatur, cum manifesto pateat concludendi modum esse *ab Universali ad particulare*, a *subalternante* propositione *ad subalternatam*.

D

Omnis

Omnis enim hujus vitae status etiam ultimum hujus vitae statum, hinc statum s. actum impenitentiae finalis, sub se complectitur. Quam parum itaque subalternata propositio pro eadem cum subalternante haberi, et modus argumentandi a veritate hujus ad illius veritatem petitionis principii insimulari potest, tam etiam parum meus concludendi modus hujus contra regulas probandi lapsus damnari poterit. *Dabo tamen, quod jure concedendum est, in argumentandi modo, quem ex principiis logicis nuncupavi, subalternantem evictam esse debere, si quid concludendum sit, et illa non evicta vere haberi petitionem principii.* Quare ubi hujus vitii accusandum erat argumentum meum, demonstrandum ante erat, me propositionem subalternantem nullibi probasse. Id vero neque docuit, neque demonstravit Vir Optimus, neque demonstrare potuit. *Non repetam* autem hic demonstrationem, quam alibi suppeditavi, a desiderio universali hominum ad reconciliandum Deum, ad possibilitatem fidei absolutam in hominibus viatoribus universalem, suppositis tamen gratiae mediis, concludendo. Sed ad principia provocabo, in ipsa *Diss. mea Inaugurali* proposita. Oblationem Redemptoris et fidei *per totam vitam* durantem urgeo, quam neque *Cal. CARPOVIVS* neque *Auctor Obs. Cl.* potuit negare aut in dubium vocare, quamvis inde consequi satisfactionem pro impenitentia finali praestitam uterque negaverit, cui tamen superius responsum jam est. Quid ergo? Num Deus redemptionem impossibilem, num fidem impossibilem, offeret? Cum autem *per totam vitam* offerat, pro quovis vitae actu, hinc etiam pro impenitentia finali, possibilis sit Redemptor, et nullus hujus vitae status sit oportet, in quo fides absolute impossibilis. Videt ergo Vir laudatissimus, non habere locum, quam mihi objicit petitionem principii: et videt simul, quam argumento meo daturus erat *Emphasin* non esse nisi ejus *mutilationem*: truncatum enim principali parte, quam expresse posueram, sistit, quod fieri non debebat.

§. 14.

Quae Cel. Auctor Obs. in *Vberiori declaratione* iis reponit, quibus ipsi ulterius, et quoad alterum argumentum (§. 10.) a me allatum, obviam eundem crediderat Defensor meus, ea, quoad duo priora membra jam removi. Arbitratur enim *et hic* argumentum meum petitionis principii accusandum esse, si intelligendum sit sub limitatione de hominibus *in hac vita* existentibus, cui modo respondi §. *praec.* Porro existimavit contradictionem involvere eam sententiam, quod finaliter increduli, qua tales, credere possint. Eam vero repugnantiam jam satis removi, cum (*Progr. Mich. §. 20. 21. et supra §. 9.*) docui, ab impugnantibus in hoc adserto subinde committi *actum* fidei cum illius *actus possibilitate*, ex quibus quippe ille, non haec, tollitur in impenitentiae hujus vitae ultimo momento. Tandem *addit*: Si verum sit, quod Defensor meus judicaverat, me in hoc argumento meo (*vid. §. 9.*) loqui de fide in satisfactionem *primam*, sequuturam esse confusionem admissam, quod non observaverim discrimen inter finaliter incredulum *specificative* et *reduplicative* sumtum, et non probaverim nisi possibilitatem fidei finaliter increduli in sensu *specificativo*, quippe pro quo non nisi satisfactio *prima* praestita sit. Speciem autem haec nanciscuntur ex distinctione, quam nullibi meam facio, sed prolatam ab impugnantibus, et retentam a Defensore, adhibeo *ex hypothesi*, et ostendo, eam mihi neutiquam obesse, si *objective* sumatur, *subjective* sumtam simpliciter renuo. At ubi de fide ut *actu* hinc *subjective* spectato, sermo est, totam satisfactionem eadem recipit, et distinctio, *objective ex hypothesi* admissa, adplicari nequit. Cum itaque quaeritur: de quam fide loquar, *an* de ea in satisfactionem *primam*, *an* vero de illa in satisfactionem *secundam*? *Nullius sensus ego eam dico distinctionem*, et *actu* fidei salvificae *totam* adstruo satisfactionem adplicari praestitam et pro transgressione legis operum et pro *transgressione* legis fidei, et *finali* quoque, *quam* naturaliter quilibet non poterat non servare, et *ex qua*, nisi pro ea satisfactio praestita esset, eripi nemo potuit. Numquid forte satisfactio

46

45

44

43

392

40

dividenda est, et *pars* ejus ad peccata legalia, *pars* ad peccata contra legem fidei, pertinet? sic in ipso satisfactionis *actu* divisio daretur, quam negavi. Sic etiam qua singula hominum individua dividenda esset satisfactio, ut fiat partium distributio, *pars* valeret pro me, *pars* pro Te, *pars* pro altero: quod admittere omnino non possumus, cum nullibi ita Scriptura dividat, id quod jam in ipsa *Diss. Inaug.* §. XLIX. docui, ostendens, fidem *totam* Christi satisfactionem, *totum* Christum, sibi adpropriare. Recte itaque potuit dicere Defensor meus, me loqui de fide, quae satisfactionem *primam*, sed non exclusa satisfactione *secunda*, adprehendit, adprehendit enim *totam*, et non alia fide opus est pro adprehendenda *secunda* (sc. objective dicta) quam quae adprehendit *primam* (objective dictam): *Una* fides *unam* *totam* satisfactionem adprehendit, et subjective dicta satisfactio nullo sensu in *primam* et *secundam* dispescitur. Omnis difficultas *ex sola* satisfactionis (subjective spectatae) in *primam*, s. eam, quae pro transgressionem legis operum, et *secundam*, seu eam, quae pro transgressionem legis fidei, facta est, distinctione, inconsulto instituta, resultat. At, ita dicis me manifestissime committere infidelem in sensu specificativo cum illo in sensu reduplicativo. Nego, et spero te consensurum mihi, ubi distinctas sensus specificativi et reduplicativi formaveris ideas. *Sensus specificativus reduplicationem excludit, sed nunquam sensus reduplicativus excludit specificationem*, certe in hac materia. An, quaeso, finaliter infidelem dicere possis, qui non sit transgressor legis, quemadmodum transgressor legis non finaliter impenitens cogitari potest? Vide, quam debuerim finaliter infideli, cui fidem possibilem concedo, fidem, quae adplicet satisfactionem *primam* (objective dictam), necessario vindicare: et, quam Tu, fidem ei denegando possibilem, fidem, qua satisfactionem *primam* adplicet, ipsi negare tenearis: et iterum, cum fides sit una, satisfactio una, non potuerim ego, fidem possibilem, qua satisfactionem *primam*, tribuendo, excludere fidem possibilem, qua satisfactionem *secundam* adplicet. Quod si vero possibilem admittis fidem qua satisfactio.

factionem *primam* in finaliter infideli reduplicative dicto, possibilem vero negas, qua satisfactionem *secundam*, manifesto concedere debes, posse *absolutam fidei possibilitatem* cum *absoluta fidei impossibilitate* in eodem subiecto consistere, et hominem plena fide instructum propter infidelitatem damnari. Quae minus congrua rejeci *Progr. Pent. §. 14.* Sufficiant ista.

§. 15.

Quae §. 9. 11. dixi, ea solvunt etiam responsionem, quam ultimo argumento meo opposuerat Vir acutissimus CARPOVIUS. Argumentatus enim eram *Dissertat. Inaug. §. LXXVI. LXXVII. LXXIX.* pro impenitentia finali praestitam satisfactionem statuendam esse, *quia illius non sit irremissibilitas absoluta interna.* Eam adsertionem non nude protuleram, sed §. LXXIX. demonstraveram, non competere impenitentiae finali *absolutam internam irremissibilitatem*, adeoque argumentationis Minorem stabiliveram, quemadmodum §. LXXVI. LXXVII. Majorem argumenti dederam evictam. Celeberrimus CARPOVIUS ad hoc argumentum nuda negatione respondet. Nimirum definitionem, quam de irremissibilitate interna absoluta dederam §. LXXV. valere dicit de impenitentia finali, propterea, quod per ipsam incredulitatem fides excludatur, et hinc redemptionis applicatio impossibilis sit. Verum cum discrimen inter fidei impossibilitatem absolutam et hypotheticam, *quam ex facto recte dixeris*, distincte docuerim §. 9. et 11. et *Pr. Mich §. 20. 21.* abunde inde patet, quod definitio, quam applicat Vir praedictus applicari nequeat. Imo id ipsum jam Vir Optimus potuisset intelligere, si *internae hypotheticae irremissibilitatis* ideam, quam *Diss. Inaug. §. LXXV.* dederam, considerare et applicare voluisset; ea enim, cum in impenitentia finali fidei solummodo *actus*, non *possibilitas*, negetur, ut §. 9. 11. et *Pr. Mich l. c.* ostendi, solummodo hic applicari potest. Quare, cum nec alia doceri ex Scriptura S. potest, nec de irremissibilitate interna absoluta quisquam convinci poterit,

D₃

§. 16.

§. 16.

Etiam Auctor Obs. et Dub. huic argumento quaedam opposuit. Nimirum p. 17. *Obs. et Dub. Primo* putat nihil opus fuisse, ut ad absolutam internam irremissibilitatem requirerem peccatoris, de peccati illa, quam dixeram, gravitate, convictionem: eamque sententiam iterum illustrandam credidit morbo lethifero, qui talis sit, sive aegrotus cum convictione sciat, sive minus. Iam autem alias vidimus similitudinem a morbo tractam claudicare, quod illi hoc quoque loco contingit. Non enim, ut in similitudine maneam, propter morbum in se lethiferum, abstractum ab irremissibilitate interna absoluta, aegrotus, de quo hic sermo est, sc. peccator, judicandus est, sed propter *contractam irremissibilitatem internam ex hypothesi absolutam*, eademque a morbo lethifero, de quo hic sermo est, non est separanda: de ea ergo convincendus est peccator, ut, judicatus, justitiam decreti intelligat. At sensit sine dubio Vir perspicax, quam deficient argumenta, pro hac convictione *in quaestione praesenti* producenda, et cum in hac convictione cardo rei versetur, *eam ex definitione abesse* cupit! *Secundo* enim statim nunc infert *omittendo eam necessariam determinationem*: Quicquid Redemptoris et fidei hominem reddit incapacem, ei competit *absoluta interna irremissibilitas*. Subsumit et concludit de impenitentia finali. At! Si conclusio adeo facilis demonstratu, cur non lubens *convictionem* de hoc statu in definitione admitteret characterem ponendum? Nunc vero ego nego majorem. Namque per definitiones a me datas *Dissert. Inaugur. §. LXXV.* intelliget Auctor primo intuitu, per eam convictionem *solum* absolutam internam irremissibilitatem distinguere ab interna hypothetica. Cum itaque non aliam, quam hypotheticam internam irremissibilitatem, argumento suo, probet impenitentiae finali competere, argumento hoc, et illo, hic repetito, quod jam docui non probare quod probandum erat *Progr. Mich. §. 20. 21.* iterum labor Viri perdocti frustratur effectu: nec adeo manifesta est absoluta

luta

Ista interna irremissibilitas atque crediderat Vir laudatissimus.
 Unde, cum *Tertio* argumenti mei, supra initio §. 15. adducti, *inver-*
sione Auct. Dub. utitur, ea inversio nullius usus est et per se corrui-
 ita inversum hoc loco argumentum, quod alibi, ad diabolos adpli-
 catum, utilitatem praestare posset *Quarto* dicit, me, ad juvandum
 argumentum meum, dixisse *τὸ finale non intendere rem ipsam.*
 Verum non intellexit mentem meam, quem forte nunc jam satis
 capiet, postquam *Pr. Mich.* §. 4. per ipsum *terminum*, per ipsam
termini vocem, explicui, dicens, *terminum non intendere rem, sed*
ita ut est ante terminum finire, superius autem in *limitatione si-*
militudinis ab Auct. Dub. prolatae ita locutus sum, ut *conti-*
nuo aggravari malum concedam. Omnino enim quamdiu homo
 in infidelitate sua continuat, semper pejor redditur *2 Tim. III. 13.*
 sed cum nunc jam ultimus impenitentiae in hac vita actus
 adest, eodemque posito definit illa; eo ipso *termino* non inten-
 ditur malitia, sed ita, ut *proxime ante terminum* erat, finitur. Et
 quamvis concederem, quod tamen universaliter nemo proba-
 verit, in actu ultimo impenitentiam graviolem esse quovis
 momento antecedenti, tamen negarem, et nego, ita gravem esse,
 ut ad irremissibilitatem internam absolutam, ex definitione
 mea, requiritur. *Conf. Diff. Inaug. §. LXXV.* Et, cum aliam, non
 habet Vir Cl. demonstrationem pro opposito in promptu, quam
 quae principio *certitudinis* nititur, *dum est, est*; sane nunquam
 contra me in hac materia quidquam petitione principii lucrabitur.
 Quod si enim fides est, eo momento, cum infidelitas finalis, in
 hac tamen via, adest, absolute impossibilis, eo ipso momento,
 in hac via tamen, infidelitas foret absolute necessaria. Absolutam
 vero necessitatem qui probaturus est exinde, *dum est*, necessario
 est, eum in primis principiis a lapsu alienum non esse et prin-
 cipium petere, nimis perspicax est Auct. Obs. et Dub. Claris-
 simus, quam ut ipse, non admonitus, praetervideat.


S, D, G.

VIRO NOBILISSIMO, PRAECLARE DOCTO ATQVE
ORNATISSIMO
DN. IACOBO FRIDERICO RÜDINGERO,
PHILOS. ET SS. THEOLOGIAE CVLTORI SOLERTISSIMO
LAUDE OMNI DIGNISSIMO.
RESPONDENTI EGREGIO



S. P. D.

P R A E S E S.

Si qua grata potest esse et accepta Praeceptoribus Academicis, eorum, quos Auditorum numero adscribere gestiunt, vitae studiorumque ratio: Si qua potest Doctoribus creari voluptas eorum solertia atque industria, qui Sacris Scientiis animum imbuunt et egregios profectus capiunt: certe Tua, *Vir Nobilissime*, quam toties diligentia laudatissima, vitaeque genere modestissimo, mihi exploratam dedisti, eximii decoris indoles inter singularissimas meas referenda est delicias. Non enim per integrum modo illud, quod ante triennium in Alma Nostra transegisti, temporis intervallum, Tuus in hauriendis imbibendisque propinatarum Scientiarum fontibus ardor et morum integritate condecoratus mihi aliisque bonis innotuit animus: sed et, per proxime elapsum, quo meo hospitio usus es, biennium, quam dudum de Te spem conceperam adeo confirmasti, ut nullus omnino nunc dubitem, fore, ut Deo, cui acceptas fers, placeant, Patronis atque Fautoribus Tuis, quos Mecoenates colis, summopere arrideant, Reverendo Patri Tuo, Verbi divini Ministro Vigilantissimo, Fidissimo, summum quoddam gaudium creent, familiae Tuae Honoratissimae ornamento sint, atque Ecclesiae certissimum aliquando commodum promittant Tuae animi dotes, Tuaeque diligentiae, quos collegisti, fructus uberrimi. In Cathedram Theologicam hodie Respondens adscendis, et quantopere veritatem Revelatam diligas, publice eam defendendo demonstras, quam Tuis illustratam meditatis aliquando, spero, es propositurus. Quo rariores sunt ad altiora aspirantium virtutes eo firmiori de Tuis fiduciam fundamento niti experimento doces. Benedicat conaminibus Tuis Numen Summe Providum Summe Benignum! Servet Patrem Gravissimum Indulgentissimumque Tibi, Te Patri, Vtrumque Familiae adferam usque aetatem. Largiatur laboribus Tuis fructus dulcissimos et finem praescribat exoptatissimum, eosdemque ad Metam perducatur desideratissimam! Vale, Mihi que fave! Dabam Rostochii, XII. ante Cal. Jan. A. S. R. cIo Io cclv.







Lib. I. Sect. XIII. Eo modo se res ha-
n magnetibus. Mihi quidam est, qui
massam in distantia crassitiei chartæ
videtur, quæ illi tamen, dum se pro-
t magnes & ferrum, satis forte ad-

æ hucusque exposui, abunde elucescit,
solam illa haud actuare phænomena,
si cuidam Physici tribuunt. In hac igi-
nus, vana erit persuasio, si in internas
ires naturæ, opinamur. Interim ta-
dam ut adsit, necesse est. Qualis igi-
vis attrahens, agens in distans, cor-
is aut naturalis, ut quamlibet materiæ
netis instar concipere liceat? Si affir-
fecasse non solviffe, Philosophi dicent.
chanica suspicanda est ratio? Nondum
ndum est, excogitari posse motum ma-
t ostendi per impulsum ea fieri, quæ
tæ attrahenti tribuimus? Mechanis-
ditionis inter impossibilia esse referen-
us evictum est ac per attractionem
oni; licet per plurimi, e. g. *celeb. Krat-*
s, Hambergerus aliique, demonstrare pri-
cicut nec vortices cœlestes ita destru-
Newtoni ratiociniis, licet d' *Alembertus*
mare & ab objectionibus *Joh. Bernoulli*
it, ut nulla restaret possibilitas a ma-
impulsu, motum derivandi corporum
C 3 cœle-

41